

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Nec tantum tempestates Jesus noster sedare, sed & aeris serenitatem & solis amabilem vultum reducere potest.

Jacobus Patriarcha diu ob amissionem filii lugebat & plorabat: sed tandem vicissim exhilarabatur, cum cum vivere audiret, Gen. 39. v. 45.

David integ. am decennium in exilio exulabat: tandem perveniebat ad regnum, 2. Sam. 1. v. 1.

Hio b opibus & sanitate orbis, tandem utriusque gaudio perfundebatur. Job. 1. v. 4. 2.

Sic adhuc hodie, qui ei confidunt, è tribulatione eripiet, & glorificabit, Psal. 91. v. ult. Thren. 32. 33.

In vita æterna veniet, ἀληθινῶν, æterna serenitas & tranquillitas, cui nulli venti, procellæ & tempestates sese admiscebunt, erimus enim in habitatione pacis & in requie securitatis. Esa. 32. v. 18. Ibi replebitur risu os nostrum, & lingua nostra exultatione in æternum.

Largiatur id nobis ex gratia Deus pater, per filium suum Jesum Christum, Servatorum nostrum! Amen.



Dominica V. post Epiphantias.

Evangelium, Matth. 13. v. 24. -- 30.

EXORDIUM.

Cum Patriarcha Isaac, alienigena in Palæstina esset, serebat in terra illa, & inveniebat in ipso anno centuplum, benedicebatque ei Dominus. Ob hoc invadebant ei Palæstini, omnesque puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, obstruebant. Gen. 26. v. 12.

Hac in parte Patriarcha Isaac typus Christi fuit, qui etiam agriculturam suam habet, quæ est Ecclesia, 1. Cor. 3. v. 9. Semen est verbum Dei. Luc. 8. v. 11. Verbi ministri sunt cooperarii, 2. Cor. 6. v. 1.

Sicut itaque Isaac sevit, accepto centuplo fructu: Sic Christus quoque pertransiit Judæam & Galileam, & multas præclaras conciones habuit, non sine insigni fructu, turba libenter eum audivit, Marc. 12. v. 37. & mirati sunt in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, Luc. 4. v. 22.

Adhuc in hodiernum diem ministros suos mittit, qui sunt fideles animarum Pa-

stores, hos pergere oportet, ubi ipse incipit, & verbi divini semen seminare, mane & vespere, Eccles. 11. v. 6. oportune, importune, 2. Tim. 4. v. 2. ad præparationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Eph. 4. v. 12.

Quanto diligentior itaque seminator, & maturior messis est, quæ insequitur: tanto magis diabolus exacerbat. Et sicut Palæstini Patriarchæ Isaac invidentes, puteos obstruebant, quod largiter ei benedixerat Deus: sic diabolus omni conatu, incrementum seminis verbi divini impedit, & seminatore vitam acerbam efficit, ut gemens officium præstet. Hebr. 13. v. 17.

In prælecto Evangelio, zizania in medio tritici inveniri, audimus. Quando vero servi patrem familias querunt, unde habeat? Respondet ipsis: Inimicus homo hoc fecit: nempe inimicus diabolus, coram quo gaudet mœrere, Job. 41. v. 13.

Nos

Nos ad ipsam Evangelii meditationem sine ulteriori præfatione pergemus, ex instituto nostro consideraturi:

I. Ἀρβυρολογίαν, sive *notitiam nostri.*

II. Χριστολογία, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exegetis.

Sicuti Noah, navigatione exantlatâ, post diluvium ex arcâ egrediens, agriculturam exercuit, Gen. 9. v. 10. Ita & cœlestis Noah, Dominus & Salvator noster Jesus Christus. Ante navigationem ejus consideravimus: jam de spirituali agriculturâ concionem instituit.

Materia in vulgus nota est. Es ist eine bekante Bauren-Vossill. Sed Dominus verbum & Evangelium suum respicit, quomodo illud per zizania suffocetur, hominibus dormientibus, nec salutem cum metu & tremore operantibus, Phil. 2. v. 12.

Discimus autem inde *notitiam nostri*, si intuemur

1. *Hominum torporem.* Cum enim dormirent homines, venit inimicus ejus: & superfeminavit zizania. Hoc de securitate intelligendum venit.

Naturalis aliàs somnus, est donum Dei, quo vires enervatæ reparantur, & homo, si per diem laborando defessus est, egregiè reficitur. Dulcis enim est somnus operanti, Eccles. 5. v. 10. Contra verò manet illud Poëtæ:

Quod caret alternâ requie, durabile non est.

Homo enim creatura est infirma, nec fortitudo lapidum, fortitudo ejus, nec caro ejus ænea est, Hiob. 6. v. 11. Hoc bene novit Deus, idèò diem ad laborem, noctem verò ad requiem creavit, Ps. 104, 20. 22.

Sicuti autem facilè in excessu peccari potest, quando intempestivè dormitur, aut nimium, ut non immeritò sapientissimus Salomo somniculosos excitet, Prov. 6. v. 9. Sic multò turpius est, si in peccatis dormiamus, aut vocationem negligamus, juxta illud: Maledictus, qui opus Domini facit fraudulentè, Jer. 48. v. 10.

Hic examines te velim, mi Christiane! annon & ipse interdum intempestivus somno indulseris, & Diabolo occasionem subministraveris, zizania pro libitu suo seminandi?

Hoc identidem accidit:

1. *In choro.* Dedit enim Deus speculatores domui suæ Ezech. 3. v. 17. quæ est Ecclesia, 1. Tim. 3. v. 15. ut pervigilent pro animabus auditorum, Hebr. 13. v. 17. & clament ex gutture, annunciantes populo transgressionem, & domui Jacob peccata eorum, Esa. 58. v. 1.

Hoc præfiguratum est, per tunicam oculatam Summi Sacerdotis, Exod. 28. v. 6. hâc enim indicatur, ministros verbi semper vigilare, & auditorum rationem habere debere. Act. 20. v. 28. Quod si vero speculatores cœci nesciunt, canes muti, non valentes latrare, Esa. 56. v. 10. tum Satanæ fores patent, ad zizania disseminanda, quod tempore Aaronis factum, à populo eò persuasi, ut aurum vitulum formaret, Exod. 32. v. 4. Tum enim querela locum inveniebat: Defecit sanctus, Psal. 12. v. 1. Omnes enim delevisset Deus, nisi Moses interpellasset, Exod. 32. v. 31.

2. *In foro.* Cum Magistratus officium negligit, & injustitiæ frena laxat, malis indulgens exemplis, nec Ecclesiæ curam impendens, tum sublato judicio impius circumvenit justum, & sic Satanus zizania seminat,